

COLLECTANEA ORIENTALIA

PRINCIPIS DEMETRII CANTEMIRI VARIÆ SCHEDÆ ET
EXCERPTA E AUTOGRAPHO DESCRIPTA.

COLLEGE OF RENAISSANCE

EDUCATIONAL INSTITUTE OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

I,

Vita principis Demetrii Cantemirii.

Princeps Demetrius Cantemir natus est Ao. 1673, Octobr. d. 26. Patre Principe Moldaviae Constantino; Matre autem Anna, ex veteri Moldaviorum stirpe Bantaschiorum oriunda.

Puer traditus est Monacho cuidam Ieremiæ Cacavela dicto, viro doctissimo, ut literis latinis et scientiis imbueretur.

Post mortem Patris Constantini à Populo et Baronibus Princeps constituitur, sed post aliquot menses instigante Principe *Nicolao* (¹) Maurocordato (qui per Domini Vander Beckii accusations et D-ni Clerici defensio-
nem satis notus est) à Principatu removetur, quod apud Turcas usitatissi-
mum est, et Constantinopolin commigrat. Ibi per 22 annos commoratus
linguis Orientalibus operam dedit, et musicæ turcicæ; quam in ordinem
redegit et notas illi accommodavit, id quod Turcis hactenus deerat.

Anno 1710, mense Novembri secunda vice ab ipso Sultano Princeps Mol-
daviæ et Ungro-Walachiæ constitutus est, quod duo testantur Diplomata
ipsa manu Turcici *Imperatoris subscripta* (²), quorum unum simul hic,
ut adspiciatur, si placet, adjunctum est.

Cum autem B. Mem. Imperator Petrus M. in Moldaviam venit, Ao. 1711,
falsis (³) multis accusationibus à privatis inimicis Turcicæ Aulæ suspectus
redditus, ad partes ejus transiit. In cuius meriti præmium pagos ipsi ali-
quot in Russia majore, et alia, quæ ad familiam sustinendam sunt neces-
saria, sapientissimus Imperator munifica manu donavit. Nec forsitan illud

(1) La margine alta mâna: *error. imo ab Alexandro.*

(2) » aceiasi mâna ca susu: *error.*

(a) De fallacibus promissionibus et mala Aulæ Turcicæ fide ipse pluribus egit, in
Incrementis et Decrem. Regni Othomanici, L. III, c. V. §. 30, p. 525, propter quas
se ad Ruthenorum partes transiisse, ipse declarat.

beneficii genus prætereundum, quod Dignitatem ipsi totique ipsius familiæ, atque Titulum Свѧтлѣншаго Князя Serenissimi Principis, hæreditariique Moldaviæ Despotæ contulerit. (b)

Per decenium postea nulla publica hujus Imperii negotia capessere voluit. Tandem Ao. 1721, die 22 Januarii, Senatoria atque intimi Consiliarii Dignitas à Clementissimo Imperatore ipsi data est. Tandem in expeditione Derbentiana morbus eum qui Diabethes vocatur, oppressit, quo etiam extinctus est, postquam eo per annum et dimidium laborasset, Anno 1723, mens. August. d. 21. in pago suo Demetrio dicto, qui distat à Moscovia 420 werstis, hoc est 70. circiter milliar. germ.

Linguis callebat præter Moldavicam, quæ ipsi nativa fuit, Græcam, Turcicam, Arabicam, Turcicam sublimiorem, quæ Farsi appellatur, et prorsus diversa est à Vulgari Turcica, Latinam, Italicam, Ruthenicam, seu potius Sclavonicam.

Libros conscripsit:

1. Synopsin Historiæ Turcicæ, sub titulo Incrementorum et Decrementorum Aulæ Othomanicæ, lingua Latina.
2. Systema Religionis Muhamedanæ, quod jussu P. M. Imperatoris et conscriptum et in lucem editum est, Rutheno idiomate, Ao. 1721, Petropoli.
3. De Statu Politico Aulæ Othomanicæ, qui liber in mari Caspio in itinere Derbentino periit; navis enim, in qua lucubrationes ejus cum ceteris rebus erant, naufragium passa est. Ao. 1722.
4. De Antiqua Dacia, Moldavo idiomate elaboratum, qui tamen nondum ad finem perductus est, Tomum unum.
5. Descriptionem hodiernæ Moldaviæ Geographico-Politicam: idiomate Latino: quæ Berolinum missa est cum charta topographica ejus Principatus.
6. Librum Græco-Moldavum Divan, sive Tribunal dictum, qui editus est Moldaviæ cum adhuc 17 atatis suæ annum ageret.
7. Librum latinum Theologo-Physices dictum de Creatione Mundi Physi-

(b) Nec illud immotæ fidei atque maximi Animi Specimen Summi Imperatoris hic reticendum videtur, quod in citati operis fine, p. 530, hisceverbis memoratur:

In hujus narrationis fine juvabit addere Heroicum magni Russorum Imperatoris Petri effatum, cunctis imitandum Principibus Christianis. Cum enim de sancienda pace Legatos ad Turcas apud Prutam fluvium misisset; Vesirii primum postulatum fuerat, ut Cantemyrius rebellis Moldaviæ Princeps ipsi traderetur. Hæc cum ipsi Legati retulissent, multique e Proceribus suaderent, ne propter unicum Hominem tot milites perderet, vere regio animo ille respondit, se usque ad Curskam locum non multia milliariibus ab urbe Moscua distantem, Turcis omnia cedere posse, quod eorum recuperandorum spem haberi, frangere autem datam fidem, et Principem, qui propter ipsum suam Ditionem deseruerit, tradere neutiquam posse, quod semet amissi honoris nulla detur reparatio. His auditis Turcæ ab ea petitione destiterunt.

ce et Theologice considerata, cum adhuc in Moldavia studiis Theologicis vacaret.

8. Hieroglyphica (propter occultata nomina, ita dicta) quibus continetur Historia Domestica, idiomate Moldavo.


9. Introductionem in Musicam Turcicam, idiomate Moldavo.

10. Cantiones Turcicas, notis Musicis ab ipso inventis conscriptas. Plurimae aliae lucubrations Constantinopoli remanserunt, aliae inchoatae quidem sed non perfectae hic loci adhuc servantur. In rebus Mathematicis non prorsus imperitus fuit: Historiae tamen præ ceteris operam dedit.

Membrum Societatis Regiae Berolinensis factus est Ao. 1714, Iul. d. 11. Diplomatici exemplum hic additum.

Conjecturas quasdam,

de Origine Familiae Cantemiriorum quod à Tartaris ortum ducat, relatas invenimus in Libro commemorato, Synopsis Aliothmaticæ Historiæ:

Fuit ea olim inter Tartarorum Mirzas nobilitate ex devitiis celeberrima. Ex magno illo Asiæ Domitore Temur-leng ortum traxisse Cantemirios Tartarorum traditiones referunt; Ipsumque nomen confirmare videtur, .

Cantemur, h. e. sanguis Temur, aut ex sanguine Temur oriundos designat.

Ex his unus sub Sultan . . . anno . . . contra Chanum ipsumque Turcicum Imperatorem rebellavit, et per plures annos cum diversis seraskieris æquo Marte pugnavit, et desideratam obtinuisse libertatem nisi factis pactiobus delusus fuisset. Turcae enim cum vidissent, se armis nihil proficere, pacem se cum eo inituros simulaverunt; ejusque Legibus illi Benderam cum viciniis, Regi Titulo et duabis caudis equinis concesserunt. Hisce vero securum redditum non multo post capite plexerunt. Hujus fratres Chano iterum se submiserunt, et in provinciis Ackiermanensi ex Ciliensi collocati fuerunt. Filius Szahbaz Cantemir itidem in gratiam receptus est, nomen vero mutavit, et quod ejus pater Beg fuit, Beg Mirza dictus est, quod et postea in ipsius filios et posteros transiit.

Cum Parens noster Moldavico Principatui præcesset, commemoratus in Historia hac Beg Mirza cum filiis suis, quos quinque habebat, frequenter in Moldaviam veniebat, majorumque suorum historiam, uti illam traditione, unico Tartaricarum Genealogiarum adminiculo acceperat, recensebat.

Addebat præterea, andivisse se à majoribus suis, quod eo tempore, quo maxime à Chano pressi fuissent, unus ex illorum stirpe ad Moldaviæ Principem fugerit, et Christianis Sacris initiatus fuerit, eoque nomine Parentem nostrum consanguineum sibi esse asserebat. (1)

(1) Urmédia diplom'a de membra allu Academie d'in Bærlinu.

II.

E Demetrii Cantemiri Principis Moldaviæ schedis autographis.

In proœmium synopsis.

Quidam vir doctus civis Andreensis, nomine Muhamed appellatione Avabi Akraszi, tempore, quo religio Mahumedana in hasce partes (Derbendienses) dilatata fuit, (annus non notatur) et Gieraj Chanus regionem Cumacorum et urbem Andere (quæ est ut oculus illius regionis) occupavit, jussus fuit, ut exquisitis Arabicis et Persicis historiis, quæ antiquitates Dagistani tradunt, in puram ac claram Turcicam linguam transferat: Prænominatus scriptor, quamvis temporum incommoditate, ut hocce opus aggrediatur, diutius fuerit retentus, nactus tamen occasionem ex mandato illius Geraj, hanc historiam ex Arabico et Persico idiomate, in Turcicum transtulit, ita:

Antiquæ historiae, quæ nobis se de rebus antiquis, referunt, perhibent, quod famosus ille Cubad (Cyrus) parens Nuszrevani, Persarum rex diurnum habuit bellum cum Hacano rege Turcorum et Hyzrorum. Habebat autem rex Hakan 400,000 exercitum et dominabatur regno Moscovia, regno Nukrato et omni Ruthenicæ genti et omnes hae nationes erant ei tributariæ. Cubad igitur cum hoc Hacana continua et innumera bella habuit, nulla tamen pars alteri prævalere potuit. Quod vero videret utraque pars armis nihil proficere neque alter alteri quicquam nocere populi prudentiores meliora proponentes regibus suis consilia, persuaserunt, ut positis armis mutuam amplexarentur amicitiam et pacem. Rex demum Hakan ut firmiori nexu pax confirmaretur, expeditis ad Cubadum legatis, petiit, ut Cubad vellet filiam suam virginem in matrimonium ducat (*sic*); quo a Cubad concesso, filiam Hakani duxit uxorem. Initio matrimonio et confirmata pace Cubad quoque misit suos legatos ad Hacanum his cum mandatis: „In limitibus mei et tui regni murum condamus hac ratione, quod si ego ira accensus aut tu in me, alterutri nocere revaleamus neque possimus bello et pugna nos impetrere“. Hoc igitur mutuo ex pacto constituto, rex Cubad ulla absque mora ad murum construendum sese præparavit. Sed cum dubius esset in quo loco fundamenta muri poneret, archangelus Gabriel indicavit locum, ubi antiquitus

Iskiender Zaul Karnein similem condiderat murum. Igitur secutus Gabrieli notitiam Cubad quoque decrevit, ut supra antiqui illius muri fundamenta murum erigat. Sed antiqui illius muri fundamenta cum essent arena (maris Caspii) obruta, neque in terræ superficie appareret, iussit ut arenam prius purgarent, quousque fundamenta eruerent. In purgatione arenæ et in restauratione unius muri (qui est a parte meridionali) impedit Cubad annum integrum, quo finito inchoavit alterum a mari, quem (a) traxit usque ad ulteriore partem Tibriserani (distat vero urbs hæc a Derbento 90 agaris, qui efficiunt 450 viorsti, et in locis necessariis et opportunis fecit portas ferreas (unde et nomen traxit Porta ferrea) et totum hoc opus spatio septem annorum finivit et firmissimum reddidit. Finito igitur utroque urbis muro, et cum totum eius regnum postea ab invasionibus Hakani liberum atque quietum esset, ad modum est gavisus, siquidem ipsam muri sui portam si centum ex suis militibus custodirent, centum millia hostium urbi nocere quicquam non poterant, quare provinciæ Armeniae et Midia deinceps tranquillæ manebant et absque ullo nocimento vivebant.— Cubad cum limites regni sui tali modo conclusisset ac confirmasset, filiam Hakani una nocte tantum constupratam ad parentem remisit hanc ob rationem, ne quandoque ex ipsa nata proles in regnum Persiæ ius hæreditatis possideat. Hacan cognoscens a filia, quod virginitatem amiserit, factam illi et filie iniuriam prorsus celavit, quia aperte vim vi opponere Cubad impotem se agnoscebat. Cubad igitur ordinatis ad singulas utriusque muri portas egregiis et virtuosis militibus tandem in Aderbeidrianam (Medium) et in Arak (Irak) est reversus. Similiter Hacan quoque ex parte sua portis expertis et probis [f. probatis (a. m.)] viribus in regnum suum abivit. Obstinebat autem Hacan principatus inferius recensitos. 1. Deszti Capezak (b), Semender (qui hodie vocatur Tarcku) Indri et Belih (qui hodie est Cuder) (c) et Ihran (qui hodie dicitur principatus Kialbach) et dominium Parai Murer (d) et magno Macrer et Czeulad, qui postea fuit appellatus Tatar Szechri (h. e. urbs Tartarorum). Causa autem, quare hæc urbs ita fuit appellata, exstitit, quia postquam depopulata et desolata fuit hæc urbs, populi, qui eam habitaverant omnes Chano Crymmensi se subdiderant, postea ad pristina reversi loca, Tatars quoque Crimenses eos fuerunt comitati, a quibus et urbs Czeulad Tatar Szechri nomen accepit. Præter istas horum principatus urbs, plures alias quoque habuit Hacanus. Sed præcipuus eius dux exercitus residentiam suam habebat in Ihiram (hæc urbs fuit ad fluvium, quod hodie corrupte a Ruthenis vocatur Acrahani) qui Hacan ordinaverat fodinas æris, quæ sunt in limitibus Ahrani et fodinas argenti, quæ sunt supra Tarchu, ex quarum proventu toti exercitui et ducibus eius, qui has

(a) ئەنچەپ ! (b) سەھىھ = كۈھ (c) سىزلىك (d) تەركىزلىك 85

partes custodiebant, stipendum solveret, facta, ut dictum est inter Hacanum pace, omnes reges, qui postea solium Persiae adscenderunt, in hac urbe aliquid novi struxerunt et fortificarunt. At tempore, quo Naszrivan Persiae imperabat, in his limitibus plurimas urbes condidit et ex altera parte usque ad confinia Græcorum ubique in locis necessariis urbes erexit. Verum cum urbem hanc ab Iskiender Ziulcarnein conditam ex parte meridionali (subintelligitur septentrionalem fuisse integrum) ante Cubad (sed quot annis incertum) filius Behrami Giur Iezdeczir rex obruta arenis purgaverat et nonnihil eam restauraverat quidem, sed postea Nuszrevan rex eam perfectam et fortissimam fecit. Annus huius restorationis incidit in Ao. 6, centesimum decimum. Alia historia perhibet, quod Cubad et Nuszrevan postquam Derbendum fortificaverant, ex regno Persia in magna regni sui fortitudine, plurimos homines eduxisse, quibuscum in his regionibus, plurimas urbes et Sedd / *Mes.* h. e. obstacula firmissima condidisse, et in primis obstaculum Elpen (alii eundem (*sic*) vocant Kilminhem) condidit, a quo usque ad Derbent 360 urbes (aut turres) in eodem muro construxit. Attamem obstaculum Elpen antiquius fuerat, de novo conditus a quodam rege cui nomen Ilfindiar, filius Kiasztaset filius Szehrab usque ad mare murum illum traxerat et portam pensilem fecerat, quæ vocabatur Alan. Perhibent, quod Nuszrevan, cum habitaret in porta Alan petiit a patre suo Cubado facultatem urbes condendi, a quo impetrata licentia, primum condidit urbem Babran, postea alteram, quæ vocabatur Kiurkiur, ab hac in distantia unius Agari, tertiam condidit Kiubar in provincia Muskiur ab hac quartam condidit Giral et eductis ex aliis provinciis coloniis, eas fecit hominibus habitatus. Hinc superius accedens h. e versus boream quintam condidit Behresal, tandem a Derbendo in trium Agariorum distantia condidit alterum obstaculum longitudinis 92 Agariorum qui respondent 450 viorstarum Ruthenorum et in qualibet possessione (h. e. spatio octo horarum) construxit unam urbem, quoque perveniatur ad Ihran ad principatum Giulbach, ubi et residentia eius erat, quæque summum suum dominum agnoscebat Hacanum: Demum ad vigesimum Agado condidit urbem Semender quæ est Tarchu, et urbem Indii, de novo struxit, et omnes has urbes Naszrevan condidit, ut urbem Bender ab incursionibus infidelium Hizrirorum defendaret. Postea subactis et Hirriis et Cumanis in eorum quoque regionibus plurimas urbes condidit, et ex eorundem familiis illis constituit principes et a obstaculo aut muro Elpen usque ad Ahran, quæ est sedes principatus Gielbah totum illud regnum in septem provincias distribuit. Ante Nuszrevanum, his provinciis dominabat (*sic*) quidam rex Itsindiar et principes illis populis ex eorundem familiis constituerat.

(Plura in autographo optimi principis non extabant.)

III.

Ex eiusdem Demetrii Cantimiri schedis Manuscriptis.

Regiones, quæ ab Baku circa littus Caspium usque ad Czircassos extenduntur.

1. Regio, sive provincia Baku versus Boream est contermina, Provincia Batran

2. Batran contermina est Muskiuræ

3. Muskiura Kuta disterminat

4. Kuta collemitanea Kiure

5. Kiure, Teter Seranum perta

6. Provincia Derbend

7. Derbendo superius est Caitak quæ Ismio est subiecta, sed praeest illis Utymgszeg

8. Supra Caitak est Cumuk, quæ hodie est dominium Bimchali, sedes est Tarchu.

9. His superius est regio Cari Tamuk, quæ hodie Surchaio subest.

10 His superius ad occasum est (sunt) natio (nes) Avar, Akkesse Zudakkara.

11. Andere est caput et terminus supradictarum provinciarum Dagistani. Regio Szirvan incipit a flumine Cur (qui Graecis fuit Araxis) et terminatur in regione Derbendi. Hinc incipit regio Dagistan et terminatur in principatu Czerkiessiorum, qui sunt omnium Scytharum nobilissimi.

12. Supra Andre sunt diversæ nationes, omnes liberæ suis tantum senioribus parentes, ut, Czikiej, Giumbet, Czeczen, Jaksai. Eiusdem nominis est flumen, cui hodie dominatur Sultan Mahmud, præterea Byczygysz, quæ contermina est Czerkiessis superius dictis.

A Baku versus orientem, secundum littus maris exstat provincia Navahy. Hanc præceddit Bilian, hanc ulterius Salian.

A flumine Curo, inter provincias, quæ ad mare pertingunt, et inter Gordanas provincias per totam Dagystan multæ et vix notæ incolis isdispan-

tur nationes, ut Zachur (quæ est Sultanatus) Rutub, Cura, Dvirar, Bekiu, Kynalyk, Achtymiskindre. Dokuspara, Beszpara, quæ ultima pertinet ad provinciam Bebran.

Flumina.

1. Cur.

2. A Curo est Gieldilan distat a Bamahi intinere unius diei. Hoc flumen dividitur artificialiter in plurimos rivulos, quibus agros et hortos suos rigant incolæ, itaque dissipatus numquom ad mare pervenit.

3. A Curo est fluvius Eldrigian, qui ex distantibus fontibus fluit, sed vi fluit in Gieldilan, sub pago Arasz, qui est contermina Akraszy in regione Szamachi, in Arasz præest Sultanus regis.

4. Guik craj fl. distat a Szamahi 5 Agadris.

5. Girdiman fl. distat a Szamahi 4 Agadris.

6. Aksu fl. a Schamahi 3 Agradis.

7. Pirsahat fl. a Szamahi versus boream 1 Agadr.

8. Kozly craj a Szamahi 2 Agadris.

9. Sambur a Derbendo versus Szamahi 8 Agadris.

10. Gjurgeri fl. a Derbendo 6 Agadris.

11. Rubaz fl. a Derbendo 3 Agadris ubi ultimas habuimus stativas et hinc rediimus ad Sica.

A Derbendo superius.

12. Dervak fl. a Derbendo 3 Agadris, viorst. 15.

13. Bugam fl. a Dervak vior. 13, hæc (hic) rivi potius dicenda flumina, quia Dervak volvitur magis, quam fluit: et latitudine 4 orgias non excedit. Bugam prope litus, ubi nos transivimus, vadum non dat. Latas est 6 orgyis; utrique rivuli, ubi in mare se exonerant, ostio carent; quia mare per suos fluctus cum pluriman eiiciat arenam, veluti aggere fluxum eorum cohibet. Hi nihilo tamen minus aqua eorum ab arena insensibiliter imbibuntur, ita, ut inter mare et fluvium Sicco pede transiri possit. Quando vero ventus flat orientalis, fluctuum spuma et excessus maris, inde transitum reddit difficultem, prout et nobis in reditu contigit, quare coacti fuimus pontes struere, atque ita transire.

1. Maris Caspii situatio, natura et furor describendum.

2. Mons Bahdagy dictus, quia Nuszrevan filius Kieicubat perhibetur sibi in eius cacumine hypocaustum fecisse et non raro recreandi gratia ibi ascendisse. Distat ille a Derbend versus meridiem 93. viorstas. Accepta est eius altitudo per quadrassum et est observata 18 viorstarum. Habetur pro secundo in comparatione cum Ararat monte Armeniae. Plus dimidia eius

pars perpetuis est tecta nivibus, quamvis et alii nonnulli in circuitu simili-
liter nivibus algeant: hic tamen tertia forsitan parte aliis est altior.

3. Aeris temperies et ventorum vehementia notanda regionis fertilitas et
caritas.

4. Situatio urbis Derbend notanda.

5. Ipsius urbis planum et miraculosa antiquorum eius marmororum longitu-
tudo, quam nos observavimus versus occidentem ad septem viorst, certo ta-
men constat, cum usque ad fontes fluminis Itran (qui in limitibus sunt
Georgiae) protendi, minirum ad 450 viorst. opus totum ex quadrato et
grandi lapide.

6. Populi Derbendiensis natura, civilitas, et aliæ eius circumstantiae des-
cribendæ.

7. Structuræ Dzamiorum domorunque et platearum aquæductuum, Hie-
ruansarorum etc.

8. Signa antiqua Hieroglyphica et alia scripta Oguriana, quæ in muro
urbis et monumentis sunt observata.

9. De Kyrchbar et filio regis Damasci.

Notanda circa urbem.

1. Portas habet: 1. Diarszi Capusi sub summa arce ad Septemtrionem,
2. *Kyrlar* Capusi ubi perhibent iacere 40 martyres Muhamendanos a Turcis
et Hizriis occisis.

2. Lapidès grandissimos habet sub turribus, quæ mare concludunt, opus
vix humanum: neque possum credere, esse rupes naturales, quia tum ex
parte apparent alii minores lapides adiuncti tum quia totum maris litus
spatio circiter 100 orgiarum est arenosus.



3. Perhibetur, quod, cum fluctus assidua agitatione sabulum eiiciat, et
retractis deinde undis ventus orientalis arefactam arenam facile extollit, qua
diurno tempore paullatim accrescente, mœnia urbis adæquant, quod haud
absque periculo est, ne hostis per eam urbis partem irruat. Qua de re et
hoc tempore, cum timeret urbs rebelliones coacti fuere, ut magno cum la-
bore arenam ab urbe repurgarent, quod et ipse vidi.

4. A porta Kyrlar versus summam arcem habet et fossam, sed locus
ille, cum esset quasi una integra rupes et durissima, excavarunt rupem in
latum 4 orgyas in profundum 3, in longum 40. Ibi enim culmen montis
exsurgit acuminosum, super quod stat ipsa arx. Reliqua vero urbs ad mare
usque fossa caret.

5. A suprema arce ad spatium 100 argyarum videtur monumentum cu-
ius filii regis Damasci, Piridymyszky, ut villa quædam nomine illius regis
et hodie ita appellatur. Extat et epitaphium eius in grandissimo lapide in-

scriptum. Sed cum essent litteræ Kiofi dictæ, neque ego illas legere, potui, neque ex indigenis, qui illas legere posset inveni.

6. Sed præterea et ab occidentali et a meridionali et septemtrionali urbis parte, monumenta ^{a)} numerum fere superantia, quæ perhibent esse notionis Ogorianæ, quæ olim Derbent obtinuere longo tempore. Lapidès ita sunt grandes, quod in tali fragoso et difficiili loco incredibile sit, quomodo ac qua methodo advecti fuerint, sunt autem huius figuræ



1. In limine portæ quæ vocatur Dzerdri Arabicis literis, quæ vocantur Neschy scribitur ita


نادم احمد شفاقت فتح بعلوب
٢٠١

Videtur tamen hæc porta multis sæculis post primam conditionem restau-

a) (a. m.) haec sepultura τῶν Σοῦρι sunt.

rata et prorsus esse opus Muhammedanum et artificis nomen Iacob et anni Hegiræ notatio.

2. Ab hac porta in muro septemtrionali ad decimam et primam turrim, versus mare descendendo, visantur characteres qui neque Kiofi, neque Arabici sed potius antiquitatis quædam signa hieroglyphica indicantur esse: et quidem, qua series literarum. non ut Arabibus aut Europæis solitum est, ad dextram aut sinistram partem extenditur, sed ut Chinensium desuper ad imum demittitur. Ita




In eodem turris fundamento est basis structura ex diversis et nigrioribus lapidibus multo antiquius constructa, ita, ut absque dubio sit, quod fundamen-tum illius turris sit prima structura urbis, quod et incolæ affirmabant, et Alexandri M. structuræ esse vestigia. Alia quoque loca quæ in muro passim apparebant, idem declarabant. Extabant autem talis antiquæ struc-turæ, quinque lapidum series. Lapidès quidem grandiores et quasi per gra-dus, pro Basis fulcimine superius recedentes.

3. In decima quarta turri eiusdem septemtrionalis muri clare videban-tur Kiofi characteres, quæ hodie tam Arabibus, quam aliis Muhammedanis nationibus ignoti manent. Erant vero huiusmodi. (*)

(a). 6: 163

شیخ
الله عزیز
شیخ عزیز
شیخ عزیز



4. Inter 14 et 15 turrim in muro aperte videbantur duæ figuræ animalium Hieroglyphicæ formæ, sed ad modum ruditer insculptorum, et ut coniiciebam, illi lapides erant ex antiquis ruderibus, in recentiori structura adaptati. Erant autem figuræ versus occidentem respicientes ita.




5. Hæc figura extabat ad portam Cyrlar h. e. quadragintorum, ad Septemtrionem spectans.



6. In ornamento eiusdem portæ Kyrclar dictæ supra Capiselia (¹), ubi prius videbantur, ab inferioris liminis basi fuisse columnas erectas in hunc modum.

(1) Alta mâna: *Capitelli*?




7. Inter quartam et quintam turrim a porta Kyrclar versus mare in quadam petra videbatur talis figura, sed admodum antiqua et vix patens: nihil tamen hanc figuram repræsentabat.



8. Porta *Babulbab* dicta, quæ est tertia a porta Dviardri miraculosæ admodum est structuræ. Est enim latitudinis duarum orgyarum et altitu-

dinis unius orgyæ, ubi superius limen cum sit in recto angulo, absque ullo ferramento, grandissimi lapides stant in plano, nulla apparente arcus curvatura. *)


9. In subterranea parvula portula, quam incolæ vocant *Babul-Kyiamer* h. e. porta extremi iudicij (fabulantur enim illam portam fuisse æqualis cum aliis altitudinis, sed diuyno tempore aut terra obrutam, aut in terram immissam, et quando tota in terram, obmuri gravitatem demittetur, tum demum mundum exterminari et diem extreum adfuturum) revera hieroglyphicæ adparent sculpturæ, quæ tempore antiquo Græci ab Aegyptiis erant mutuati, ut in multis Romæ Constantinopi in aliisque obeliscis et columnis videre est. Erant vero illæ huius figuræ. **)




10. In quarta turri a mari versus occidentem in boreali muri parte alta ad duas orgias in restaurazione videbatur fragmentum lapidis diversi ab aliis coloris in quo videbatur in duabus seriebus litteræ maiusculæ quasi Græcæ, longæ circiter palmum. Sed quia fragmen erat inverse positum litteræ ab inferiori parte ad superiorem ducebantur ita.

*) Bayer, De muro Caucas. s. 428.

**) Censeo Tamgas Tataricas esse.




11. Inter 6 et 7^{mam} a prima turri supremæ arcis in muro meridionali videbantur talia hieroglyphica.




12. In altero lapide litteris notabatur annus a Muhammedे 110 quod est 115, at currens annus Hegyræ est 1135, ex quibus detractis superioribus restant 1020 anni lunares a quo inscriptus est hic annus. *)

*) Facta Chr. 733.

13. Inter septimam et octavam turrim a supra arcis turri apparet hæc figuræ, quamvis primi animalis pedes posteriores non apparet, cum inciderent in inferiore lapidum serie.




14. In inferiori vero lapide exprimebantur figuræ talium animalium cum tali illegibili subscriptione.



15. Super has figuras tribus lapidum seriebus superius clare legebantur hæ litteræ, quæ ut videntur sunt Græcæ.

Hπερο

16. In arce, quæ est supra montem, urbis arcem defensura prima ab urbe est, in pariete ad orientem spectante in uno lapide, tria hieroglyphica videbantur signa.



A summa arce, versus mare descedendo, urbis Derbenti portæ sunt:

1. Narancaala Capusi ad occidentem spectans
2. Baid Capusi *)
3. Orta Capusi
4. Eugi — — —
5. Absque nomine in parte urbis deserta
6. Feria Capusi **)

Ad septemtrionem versus mare.

1. Driardizi Capusi ***)
2. Kyrclar Capusi ****)
3. Batultob Capusi
4. Absque nomine in deserto
5. Feria Capusi.

Imaret ad mare opus Ali Kuluk

Post conditam a Cubato urbem, anno Christi centessimo decimo restauratam narrant in urbis muro in lapide quodam legi a centesimum decimum quintum Arabicis cifris in 110 *****). Iterum restaurata fuit anno Hegiræ septingentesimo septuagesimo, qui annus est scriptus supra portam portæ Kyrclar.

*)


**)

***)

****)

*****) A. 770.

Turris in qua conditus est hic lapis a mari septima est.



Lapis in muro urbis Derbendi ad plagam meridiem spectans, in quadam turri, quadrata, altus ad 4 ulnas a fundamento. Longus duorum cubitorum, latus unius absque $\frac{1}{8}$ a mari haec turris numeratur septima.

Hæc apparentia urbis antiquæ fundamenta visebam in loco in colis Bitly Baluk dicto. A boreali parte inter rupes montium salebrosorum, fragosorum in profunda valle interfluebat rivulus, qui non longe superius rudeibus ex perenni fonte effluit. Pars muri occidentalis desinebat in rupibus illius rivuli, ubi et turricula adhuc exstabat integra ex quadrato lapide constructa, ut videre est in figura delineata. Ab illa turricula versus meridiem videbantur fundamenta in recta linea longitudinis 200 orgyarum et desinebat in præruptos et excelsos montes, qui a plaga orientali, in montium cacumine rupes ita præcise et ad perpendicularm erant præruptæ, ut arte factus esse viderentur, quamvis non manus sed naturæ opus esset. In ipso angulo recto videbantur fundamenta itidem rotundæ turris: a qua deinde murus vertebatur versus orientem secundum montium culmen. Longitudinis ad 200 orgyas et ibi mons prærupebatur in ipso montis culmine, ubi ruputra montium et transitum dabat. Similiter fundamenta rotundæ turris bene videbantur. Is altera quoque montium regione, ubi per montium fauces iter transibat similiter alterius rotundæ turris fundamenta videbantur, unde coniicio, quod ibi fuerit clausura aut porta, ab illa turri collis adscendebat in altum montem et per declivum eius fundamenta urbis apparebant usque ad montis cacumen in montis cacumine erat locus planus et amplissimus in circuitu circiter trium verstarum, ubi videbantur fundamenta diversa, sed omnia quadrata, quæ ut existimo fuerant habitacula civium. Nam non longe hinc in eodem plano cacuminis, quam plurima extabant monumenta, in quibus tamen nulla videbatur inscriptio. Ubi vero mons desi-

nebat præceps descendebat in declivius. A cuius radice incipiebant alii minores colles, qui ad Orientem, versus mare extendebantur. Super quorum cacumina ab altioris montis radice usque ad mare similiter fundamenta hinc inde in recta linea videbantur. Cuniicio hanc fuisse Ogurorum (*) pontentissimæ antiquis temporibus interque Suphas famosissimæ nationis urbem, quæ in Turcicis annalibus vocatur *Nehre*, quæ fuit patria Soleiman Szahi, proavi Sultan Othomani primi Turcarum imperatoris. Ipse enim fuit princeps Ogurianæ gentis et ad Caspium mare in urbes Nehre habitaverat, unde facta irruptione per Demur Capusi transivit cum suis 5000 in Medium aut Aderbedriam. Opus hoc Turcicæ fuisse gentis, evincit turricula adhuc extans in qua Turcica lingua et Turcicis characteribus duobus in capitibus inscribitur, in uno quidem ita,

قبر قهرمان مخدی

h. e. monumentum herois Muhammedi, in altera vero literæ legi non potuerunt, quia cum esset in parte boreali, temporis carie et pluvii totæ fere delectæ erant.

Sub oppido Tarku apparebant et alterius urbis fundamenta a montium radicibus usque ad mare extensa. Ubi ex mandato suæ Majestatis aliquot lapides evertimus et invenimus cementum in lapidem fere conversum. Opus videbatur quadratum amplitudo urbis, ad orgyas 250, longitudo plusquam 500 orgyarum, ubi tamen nihil notatu dignum potuimus observare, quod tamen urbis fundamenta essent Iorn, quoque *مخدی* judicavit.


Figura turris extantis ex quadrato lapide fabrefacta, paries ex unico lapide extans. Altitudo 3-dæ orgyarum, latitud. $1\frac{1}{3}$.

Apparebant litteræ Arabicæ, sed lectu impossibiles, excepto, quod in uno lapide a dextra ianuæ parte in secunda lapidum serie legebantur.

قبر قهرمان مخدی

(*) عرب

Kabri Cahraman Muhammed h. e. Monumentum herois Muhammedi.




Huius formæ duo sunt insignia Imamorum

Hæc item insignia Imamorum.




(4 et 5). Duo sunt talia signa, unum ferreum aliud æneum: in utriusque medio inscripta videntur nomina Dei Muhammedi et Ali: in superiore parte tres radios habet, æneum vero est deauratum. Portatur ab Immamo.




1. Album cum Alemo deaurato, quod datur a Schacho Despotæ Derbenti; habet figuram triangularem; nullam habet inscriptionem.

2. Argenteum triangulare cum sphæra deaurata in marginibus cui inscriptæ videntur preces quædam ex Corano, at in medio eiusdem ex una parte leo, inscriptus est, cuius tergo adhæret semiluna alba cum radiis circum circa leonis adsunt nomina dei Muhammedi et Ali: ex altera parte in medio videtur bini mucronis talis:



3. Album tridens cum hasta ferrea, in medio eius leo cum luna dentibus inscripta sunt nomina Dei, Machumedi et Ali.

Signum hoc ferreum est,
longitudo eius 4 Archin. fa-
bricatum est Ao. H, 1116
(A. Christo nato 1704) fe-
cit id Ragim Schamachensis
eius dominus vocabatur Se-
fer: Portat hoc insignium
unusquisque; tale signum
portabant veteres eorum I-
mami, eorumque exemplo,
portant et nunc in gloriam
nominis illorum Imamorum.



Descriptio templi Muhammedani in Derbend,

quod quando fundatum et a quo nulla notitia neque signum, restauratum tamen a Rege Persiae A. H. 770. Cuius architectus fuit Tadziaddin, ut supra templi fores cuius nomen Arabicis litteris in nitido lapide insculptum clare legitur

مَسْكُونَةُ الْمَنَانِ

e nomine notum est, cum fuisse hominem Persicæ nationis, nominis cui etymon significat Corona legis.

2. Totum opus a fundamento usque ad fenestras est antiquissimum ex grandi et quadrato lapide affabre factum a fenestris vero usque ad summum est ex latere cocto a restauratore ædificatum.

3. Templi longitudo est 92 cubitorum, latitudo 24, quod fulcitur supra quatuor series columnarum.

4. In qualibet serie sunt columnæ 20 summa ommium 60, verumtamen columnæ, quæ sunt ad parietem excurrent ex pariete saltem dimidia parte.

5. Ab ianua templi in latus ad primam columnarum seriem, spatium est sex cubitorum, quadr. 1 dig. 3, in latum 5, c. 1 dig. 3. At his ad tertiam seriem spatium 9 cubit: absque 5 digitis. A tertia serie usque ad quartam similiter ut in priori.

6. Spatium inter columnas in longum 3 cubit. 2 quad, absque 2 digit.

7. Columnæ omnes sunt quadratæ, cuius latus 1 cub. quad. 2 dig. 4.

8. Columnæ omnes sunt quadratæ, cuius latus 1 cub. quad. 2 dig. 4.

9. Ianua exterioris ingressus lata 2 cub. quad. 3 alta 4, cub. quadr. 1, dig. 7.

10. Fenestras habet 16, octo ac una parte ianuae et octo ab altera.
11. Spatium inter columnas, quae sunt ante portam ingressus, est in latum 9, absque 5 digitis in longum 5, quad. 1 dig. 3.
12. Ex templo excurrit altare quadratum, cuius quod libet latus est 13 cubitorum et ex orientali ac occidentali pariete sunt duas excusiones. Cuiuslibet excusiones longitudine 2 cub. quad. 3 dig. 3, latitudo 4, quad. 3.
13. In medio altaris in pariete meridionali est concavitas quam illi vocant Mihrast, signum quod in illam partem debent adspicere cum orant.
14. Cum mediæ columnæ habeant inter se maius spatium testudines quoque, quae fulciuntur super illis columnas sunt altiores, reliquæ reliquarum columnarum depressores, uno cubito, ut in figura.
15. Turris, quae supra exteriorem, est parta. Alta cub. 22, lata cub. 7, quad. 1, in cuius basi sunt ab utraque parte pedestali latitud. 1 cub. quad. 2 longit. cub. 3.
16. Craticula in fenestris sunt ex latere in modum sevum memi, fanq







Figura columnarum ut super basin constant et altitudo
et latitudo testudinum





Hic loci quinque incolæ Vezi de nomine inibi in mare confluentis rivuli dicebant, secundum delineationem apparebant ubique in circuitu rudera, et ipsa dispositio fundamentorum ex capite austero et forti: lateritium nullibi apparebat opus. Calx vero ita coaluerat lapidibus, ut instrumentis ferreis vix divelli posset et tota quasi in lapidem conversum. Prærupti erant colles undique præcipitosi et inaccessibiles quidem nunc, quia imbris (*sic*) et diurno tempore quasi corrosi et diruti et cum iumenta paganorum in circuitu assidue descenderent ad confluentem, semitas in circuitu collis effecerant: alioquin antiquitus videtur fuisse inaccessibiles (*sic*). Inter duos colles præterfluebat rivulus Vezi dictus et sub ipsis urbis fundamentis ponte iunctus. Pons vero erat novæ et recentissimæ structuræ. Altitudo collis extollebatur ad 40 circiter orgyas, sed parte, qua ad mare spectabat, protendebatur in declive. In montis cacumine videtur fuisse arx, ut est delineatum. Sex in locis apparebat muri structura. Fundamenti latitudinem ipsa sua Majestas dimensa est, ad 4 orgyas. Muri exterioris radices montis ambientis, amplitudo erat circiter 400 orgyas. Arcis vero circiter 25. Murus totus irregularis erat, quia reductus erat secundum collis obliquitatem. Pars urbis, quæ spectabat ad orientem, distabat a mari orgyis 30. Sed ea pars collis videtur fuisse corrosa fluctibus maris, urbem vero ad mare usque extensam. Licet nunc in arena nulla apparerent vestigia, nisi superius in collis ruina in serie muri inferioris ab una et altera parte duobus in locis adhuc videbantur. A parte meridionali trans rivulum erant quidem rupes naturales, sed multis in locis lapidum et ruderum vestigia indicabant super illas quoque fuisse muros et cum maiori urbe prope pontem coniunctos, ita, ut rivulus per medium urbem transfluxerit. Rivulus dum descendebat infra urbem faciebat laculum, latitudinis 5 orgyarum et hinc veluti in circuitu collis nonnihil profluens in arenis fluere, retinetur; quia arenæ a fluctibus maris in colliculos quasi allenatæ fluentem rivulum in se absorbebant.

Ad Rivulum Vezy



Ambitus circiter 300 orgyarum
Mare Caspium.





Insignia Iarbassiorum:



يَا اللَّهُ يَا مُحَمَّدَ يَا عَلِيٌّ
نَصْرٌ بِنَارِ اللَّهِ وَفُتحٌ فَرِيدٌ

